


A Second Letter of P. Pardies , written to the Publisher from Paris
May 21. 1672. to Mr. Newtons Answer , made to his first Letter ,
printed in Numb. 84.

Redita mihi sunt tuae literae cum Observationibus Clarissimi atque Ingenuissimi Newtoni, quibus ad meas difficultates respondit. Eas ego legi non sine maxima voluptate : Et primum, quod attinet ad ipsum Experimentum majoris Latitudinis colorum quam exigeret vulgaris Theoria Refractionum ; fateor, me inæquales refractiones in oppositis Prismatis faciebus supposuisse, nec ulla tenuis adverteisse in literis relatis in Transactionibus, observatam fuisse à Newtono majorem illam latitudinem in eo casu in quo refractiones ponerentur reciprocè æquales, eo modo quo hic in istis observationibus dicitur. Sed nec ab eo tempore in iisdem Transactionibus vide-re licuit, cum eas non potuerim recuperare. Cum igitur nunc videam, etiam in eo Casu observatam majorem illam Colorum latitudinem ; certè ex hoc capite nihil mihi ulterius restat difficultatis : Ex hoc, inquam, capite ; nam aliunde videtur posse reddi ratio illius Phenomeni absque ista varia Radiorum Refrangibilitate. Etenim in ea Hypothesi, quam fuisse explicat noster Grimaldus, in qua supponitur Lumen esse substantia quedam rapidissimè mota, posset fieri aliqua diffusio luminis post transitum foraminis & decussationem radiorum. Item in ea Hypothesi, qua lumen ponitur progredi per certas quasdam materiae subtilis Undulationes, ut explicat subtilissimus Hookius, possunt explicari colores per certam quandam diffusionem atque expansionem Undulationum, quæ fiat ad latera radiorum ultra foramen, ipso contagio ipsaque materia continuatione. Certe ego tales adhibeo hypothesin in Dissertatione de motu undulationis, quæ est sexta pars meorum Mechanicorum ; ut ponam, colores istos apparentes fieri ex sola illa Communicatione motionis, quæ ab Undulationibus directè procedentibus ad latera effundatur : Ut, si radii intrantes per foramen a progradientur versus b, undulationes quidem directè terminari deberent (habendo rationem ad motum rectum & naturalem) ad lineam rectam a b ; nihilominus tamen, propter continuatatem materiae, sit aliqua communicatio commotionis versus latera c c, ubi tremula quadam & crispans succusso excitatur : Atque si in illa laterali crispatione confistere colores supponatur, existimo omnia phenomena colorum explicari posse, ut fuisse in ea , quam dixi, Dissertatione expono. Quibus item positis appareret etiam, cur ultra quam ferat radiorum ipsum divaricatione, expandi colorum latitudinem necesse sit. Verum ista obiter hic tantum adnotasse sufficiat.



intrantes per foramen a progradientur versus b, undulationes quidem directè terminari deberent (habendo rationem ad motum rectum & naturalem) ad lineam rectam a b ; nihilominus tamen, propter continuatatem materiae, sit aliqua communicatio commotionis versus latera c c, ubi tremula quadam & crispans succusso excitatur : Atque si in illa laterali crispatione confistere colores supponatur, existimo omnia phenomena colorum explicari posse, ut fuisse in ea , quam dixi, Dissertatione expono. Quibus item positis appareret etiam, cur ultra quam ferat radiorum ipsum divaricatione, expandi colorum latitudinem necesse sit. Verum ista obiter hic tantum adnotasse sufficiat.

Quod.

Quod annotat, errorem, qui oriri posset in calculo, ex eo, quod dixerant, veluti foramine factio in posteriori facie prismatis; errorem, inquam, illum non posse inducere sensibilem varietatem: id optimè annotatum est; neque ego existimavi, inde multum augeri colorum latitudinem, sed tantummodo accuratam calculi rationem indicare volui: Quapropter etiam & ego in praxi negligendam hanc cautionem censeo.

Circa Experimentum crucis, nequaquam dubito, quo minus in suo experimento talem situm adhibuerit, in quo æqualis inclinatio fuerit Radiorum incidentium; quandoquidem id ita à se præstitum expresse affirmat. Verum id non ego poteram coniucere ex iis que in Transactionibus legeram; ubi ponuntur duo exigua & maximè distantia foramina, & unum Prisma prope primum foramen quod est in fenestra; per quod Prisma radij colorati erumpentes incident in alterum distans foramen. Addebatur autem, quod ad hoc ut omnes illi radii successivè incidenter in secundum illud foramen, convertebatur primum Prisma supra axem: Atqui hoc modo necesse est mutari inclinationem radiorum qui incident in secundum foramen: atque indicavi ego in literis, quod perinde se se res habret, sive manente primo Prismate immobili, secundum foramen attolleretur aut deprimeretur, ut posset successivè radios omnes depicta imaginis Solaris excipere; sive manente isto secundo foramine immobili, primum prisma converteretur, ut ita eadem imago situm mutaret, atque in foramen impingere secundum omnes successivè partes posset. Sed alias sine dubio adhibuit cautiones solertissimus Newtonus.

Quæ circa Colores objecram, optimè soluta existimo. Quod autem Theoriam istam, appellarim Hypothelin, id certè ego nullo adhibito consilio feci; atque nomen usurpavi quod primum occurrit: quapropter velim ut ne per contemptum adhibitam vocem ejusmodi existimet. Praeterea sane inventa semper ego magni feci, Clarissimum verò Newtonum imprimis suspicio ac veneror.